DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

5

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
RHEUMATISMO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS HUDSON,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Principiis obsta; serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

OVID.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1807.

VIRO OPTIMO,

RICARDO FRANKLAND,

DE ASHGROVE, IN COMITATU CORCAGIENSI,

ARMIGERO,

JURIS CONSULTO,

NON MAGIS OB INGENIUM ET SCIENTIAM

IN ORBE LITERARIO SPECTATO,

QUAM

OB HUMANITATEM, MORUM SUAVITATEM,

CAETERASQUE VIRTUTES, QUAE

VITAM

ORNANT ET HONESTANT,

AMICIS ET FAMILIARIBUS DILECTO;

HANC DISSERTATIONEM,

PROPTER AMICITIAM, QUA EUM

SEMPER DIGNATUS EST,

GRATO ANIMO

DICAT DEDICATQUE

GULIELMUS HUDSON.

PATRUO SUO CARISSIMO,

EDVARDO HUDSON, M. D.

APUD EBLANAM,

SIBI CUM SUMMO HONORE,

SUMMA CUM CIVIUM SALUTE,

ARTEM SUAM PROPRIAM

FELICITER EXERCENTI;

OPUSCULUM HOCCE,

EXIGUUM,

SED SINCERUM

AMORIS ET ANIMI HAUD INGRATI

MONUMENTUM,

SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

Rude at the first, the Winter shocks you less
By long acquaintance: Study then your sky,
Form to its manners your obsequious frame,
And learn to suffer what you cannot shun.
Against the rigours of a damp cold heaven,
To fortify their bodies, some frequent
The gelid cistern; and where nought forbids
I praise their dauntless hearts. A frame so bold
Dreads not the cough, nor those ungenial blasts
That breathe the Tertian or fell Rheumatism;
The nerves so tempered never quit their tone;
No chronic languor haunts such hardy breasts.

ARMSTRONG.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

In specias duas auctoribus medicis Rheumatismus dividitur, nempè, in Acutam et Vetustam, vel in Febrilem et non Febrilem. Utræque Medici intento animo dignæ sunt; præsertim verò *acuta*; cùm ejus impetus sæveriores sint, et sæpissimè fit ut in Vetustam illabitur, quæ haud rarò ægrotum in conditione miserrimâ relinquit. Igitur, in paginis sequentibus, nobis consilium est solummodò de *acutâ* tractare.

DEFINITIO.

Sequentibus verbis à Culleno hicce morbus definitur : " Morbus ab externâ et plerumque evidente causâ, pyrexia, dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores potiùs quàm pedum vel manuum articulos, infestans, calore externo auctus."

Manifestè patet, hanc definitionem, consiliis duobus, esse designatam ; haud solùm, historiam brevem symptomatum tradere, sed etiam diagnosin rheumatismum inter et podagram notare ; et fortasse eâ de causâ, solitas leges Nosologiæ Doctor Clarissimus reliquit, imponendo " causam morbi *. Definitionis pars secunda, scil. " calore externo auctus," maximè est ambigua, et forsan omninò pendet ex febris exacer-

* Sic podagra definitur : " Morbus hereditarius, oriens sine causâ externâ evidente."

batione, vespere accedente, et non ex calore lecti, cui verisimilè est, hæc verba esse referenda.

In cœlo vario et mutabili, hic morbus maximè grassatur ; et ob eam causam, in vere et autumno sæpiùs solet incidere, quàm in hieme vel æstate. Licet ab accessionibus ejus nulla immunis est ætas, tamen, ejus tentationibus multo procliviores sunt, ii temperamento sanguine oprædi ti, et qui ætatem illam attingunt inter pubertatem et trigesimum vel quadragesimum annum ; sed in paucis exemplis, in ætatibus provectioribus adortus est*. Fœminæ huic morbo obnoxiores sunt quàm mares.

Morbo accedente, frigor, languor et horror primo sentiuntur, quibus subsequuntur calor, sitis, cum aliis pyrexiæ signis : pulsus plerumque frequens, durus atque plenus est ; in nonnullis verò parvus et debilis, sed tam venæsectionem permittet quàm alter †. Sanguis e vena detrac-

---

* Vide HAYGARTH's Clinical Cases, p. 142. ; et etiam FOWLER's Reports, p. 259.

† Audi Cel. GREGORII Prælect. de Med. Pract. in Acad. Edinensi.

tus, coriaceam albam tunicam exhibet. Spirandi nonnunquam difficultas adest. Cutis plerumque calida atque sicca ; in nonnullis autem parci glutinosi sudores, aut durante nocte, vel auroram versus erumpunt, parùm levaminis ægro præbentes. Partes affectæ aridæ sunt, dum manet sudor in aliis partibus corporis ; ad quod animum adverteret medicus, quippe in sudoribus arte elaboratis, res magni momenti est, sudorem movere in illis partibus *.

Alvus per hujus morbi decursum ferè est adstricta, haud rarò profusio urget. Urina in quantitate modicâ redditur, rubro colore, atque initio morbi sine sedimento ; haud tamen diu ita permanet, brevìque redditur subrubra cum subsidentiâ. Brevi post tempore, morbus formam propriam induit, nimirum, dolores acerrimos, præcipue genua et majores reliquas juncturas infestantes ; sed accidit nonnunquam, quòd articuli dolent antequam symptomata pyrexiam indicantia adoriuntur ; et interdum dolores et pyrexia eodem tempore cor-

* Prælect. ut antea citat.

ripiunt. Majores articuli, scil. genua, humeri, &c. præsertim impetum morbi sustinent, et ab iis dolor tractum musculorum sequitur. Corporis nulla pars ab impetu prorsus immunis est; tamen, abdominis musculi rarissimè afficiuntur. Peritissimus CULLENUS unum solummodò exemplum hujus generis vidit; et in exemplis quingentis à HAYGARTHO recensitis, tria tantùm invenimus in quibus musculi abdominis participes doloris fuere *. Quandò musculos intercostales invadit, Pleuritidi instar est. GREGORIUS noster exemplum Trismi, musculis maxillæ inferioris affectis, vidit.

Plerumque dolores fugaces et inconstantes sunt: nunc hunc, nunc illum articulum excruciant; quò magis dolores sunt dispersi, eodem tempore multis juncturis affectis, eo sunt symptomata febrilia graviora.

Vespere accedente, adest semper dolorum et febris *exacerbatio*, et maximè per noctem ingravescunt; et hoc tempore dolores sæpissimè ex

---

* Vide p. 146.

loco in alium locum corporis transeunt, et huic causæ non calori lecti tribuere debemus incrementum doloris et febris quod tunc adoritur. Si causa hujus incrementi esset calor externus, per diem ingravescerit etiam æque dolor, quandò ægrotantes lecto non expergescunt; vix autem ita res se habet. Præterea, in Nosocomio Edinensi vidimus ægros calorem partibus affectis applicantes; et per hiemem an. 1806, sæpissimè notavimus, in clinicâ divisione Nosocomii, hoc morbo ægrotantes propè ignem calidas lanulas juncturis dolentibus applicare; et quod notatu dignissimum est, in multis ex his exemplis, dolores et febris tam violenti fuere, ut ad eos sublevandum venæsectio planissimè necessaria fuerit.

Morbo progrediente, articuli affecti tument et rubent, atque sub motu vel pressione vehementer dolent; et cùm articulus tumet, aliquantum dolores levantur, et æger solatio brevi fruitur.

Interdum hic morbus brevì terminatur; plerumque verò, ad unam alteramve hebdomadam protrahitur, quo tempore minus urgentes dolores fiunt, et præscripti unæ alteræve juncturæ sunt,

et minus apti sedem mutare. Doloribus remittentibus, symptomata pyrexiæ etiam decrescunt.

TERMINATIONES.

Hic morbus plerumque resolvitur ; rarissimè in suppurationem abit, tamen hoc modo haud rarò terminatur, testantibus cel. Storck et aliis * ; nonnunquam humor pellucidus in bursas mucosas et ligamenta capsularia effunditur : ex acutâ in chronicam sæpè illabitur, omnium pessimam forsan terminationem ; nam cùm hoc accidit, plerumque rigescunt artus et musculi ; et demum in ipsam anchylosin articulorum desinat, ita decoram humani corporis formam corrumpens.

---

* Vide Storck. An. Med. p. 72.

CAUSÆ

In prædisponentes et excitantes dividantur. Inter predisponentes, nulla forsan notatu dignior est quàm *plethora*, quocunque modo inducta, aut ex vitâ sedentariâ, pleniore vivendi ratione, solitis evacuationibus suppressis, scil. hæmorrhoidali fluxu, sanguinis detractione solitâ omissâ, mensibus suppressis; harum postrema, ut nonnulli affirmant, inter causas multum valet, quare fœminæ quàm viri sæpiùs sub hoc morbo laborant. Sed causa, quàm hæc multo gravior, est, quod fœminæ, non solùm corporis structura multo laxiore, gaudent, verùm etiam vitam agunt plerumque intra foras; itaque cùm exeunt, multo procliviores sunt mutationibus cœli affici.

Quinetiam ea omnia, quæ corpus infirmant aut irritabilius reddunt, ut morbi prægredientes, diutius hydrargyri usus protractus, &c. habeantur causæ prædisponentes; necnon ii, qui morbo jam antea laboraverunt, procliviores sunt accessionibus iteratis. Præter has jam memoratas

causas, Historiæ initio aliquas enumeravimus; nempè ætatem, temperamentum, &c.

EXCITANTES.

Omnibus notum est, quod frigus corpori illatum, multò sæpiùs hunc morbum inducat, quàm ulla alia causa, præcipue si humiditate conjunctum fuerit, et si corpus actioni ejus nimis calefactum objiceretur; hâc de causâ, videmus sæpissimè hos sub hoc morbo laborantes, qui prius calefacti fuere vel decurrendo vel saliendo, et subitò sese obtulere nocivis sed refrigerantibus auris*. Exemplum frigoris cum humiditate conjuncti hunc morbum inducentis, nobis sæpissimè occurrit, cùm aliquis inter lodices humidas dormit; vel vestimentis madidis sese induit. Inter

* CURRIE (nomen à medicinæ cultoribus nunquam non venerandum) de frigoris actione in corpus humanum, et præcipue de balneo frigido agens, sic dicit, "Nothing is more dangerous than this practice, after "exercise has produced profuse perspiration, and "terminated in languor and fatigue;" ita quoque nobis videtur, ut frigida aura, *cæteris paribus*, eosdem effectus in corpus propemodum induxerit.

causas excitantes, domicilia frigida atque humida enumerari debent.

PROXIMA CAUSA ET SEDES MORBI.

Ex scriptorum medicorum diversorum opusculis docemur, proximam causam hujus morbi inflammationem ligamentorum capsularium esse, et nonnunquam mucosarum bursarum; atque secundum CULLENUM, valet etiam rigiditas fibrarum musculosarum, eâque de causâ non facilè contrahunt, atque dolent sub hanc contractionem, et sic auctor eruditissimus procedit: "It is "also an affection of these fibres which gives an "opportunity to the propagation of pains from "one joint to another, along the course of the "muscles, and which pains are more severely "felt in the extremities of the muscles terminating in the joints, because, beyond these, "the oscillations are not propagated."—Ex dolore vehementissimo, quo comitatur hic morbus, nonne fas est inferre, has partes, quas dolor occupat, nervis esse copiose suppeditatas; quamvis ex cel. HALLERO in opinione dissentimur, qui affirmat, *capsularia ligamenta* prorsus

esse nervis destituta. Harum partium corporis inflammatio ex eâ aliarum differt, rarissimè in suppurationem finiendo, quod fortasse sedi morbi tribuendum est.

DIAGNOSIS.

Morbi præcipui, quibuscum Rheumatismus acutus confundi periclitatur, sunt Podagra, Syphilis et Species Chronica; de quibus paucula in ordine ut dignoscantur, dicere proponimus.

Rheumatismus ex Podagra dignosci potest, sequentibus advertendo animum: Podagra rarississimè apparet antèa trigesimum annum ætatis; Dyspepsiæ signis quibusdam plerumque prægreditur, scilicet, flatu, anorexia, &c. Mares sæpiùs quàm fœminas invadit. Podagra est morbus *hæreditarius;* Rheumatismus minimè. Morbi sedes varia: Podagra articulos minores occupat, nempè digitorum pedum vel manuum; e contra Rheumatismus majores. Etiam, ex Causis, cùm Rheumatismus oritur plerumque ex frigore et humiditate, dum Po-

dagra subitò invadit, et sine causâ aliquâ evidente, præter magnam vini ingurgitationem. His indiciis ritè perpensis, inter duos certissimè dignoscere possumus.

Lues.—In Lue dolores medias ossium partes occupant, præcipue majorum; profundiores sunt, et tactu vel motu augentur; præterea Rheumatismus pyrexiâ stipatur, in Syphilide vix inveniendâ.

Rheumatismus Chronicus.—In hâc specie, nulla pyrexia adest; nullus tumor vel rubor articulorum: sed ægrotus in iis, de insolitâ frigoris sensatione conqueritur, (quamvis partes cæteræ corporis sudore madent), cum rigiditate magnâ et debilitate, simul cum his, dolores sedem eorum rarò mutant.

PROGNOSIS.

Licet hic morbus est valde acutus et dolens, rarò mortiferus est. Gregorius dicit, se nun-

quam vidisse veræ speciei inflammatoriæ exemplum, lethaliter finire. Observatu dignum est, lethalem evadere, quandò inflammatio subitò recedens ex juncturis, parti magis necessariæ vitæ defertur, ut Pulmonibus vel Cerebro. GREGORIUS de exemplo lethali mentionem facit; ubi dolor capitis, delirium et coma, inflammationi artuum subsidenti, supervenit: seu mors supervenit, ex inflammationis metastasi ad partes illas corporis ex juncturis, vel ex affectione primaria, non certe potest discernere Professor Illust.

FOWLERUS putavit, duos ejus ægrotos ex eâ causâ perire; ille delirio, alter cum dyspnœâ affectus. Ex exemplis centum et septuaginta à HAYGARTHO tractatis, duodecim lethalia fuere, sed illa cum morbis aliis fuere conjuncta, scil. Phrenitide, Diarrhœa, Febre Typhode; et, in exemplo uno, dolore et tumore subitò recedentibus, ægrotus cum spirandi difficultate, tussi atque hæmoptysi fuit adortus, quæ citò vires vitæ exhausere. Comitatâ febre typhode, vel corporis habitu magnopere debilitato, aut à

morbis præcedentibus vel senectute, in dubio prognosis est. Sed quandò æger juvenis et integer viribus est, mitigatis doloribus ab articulorum tumore, cum febre leni et cum universali et profuso sudore, aut naturaliter vel medicamentis inducto; pro certo ægrotus ad sanitatem brevì reducetur.

RATIO MEDENDI.

Memorare medicorum experientiam hucusque, incipiemus; et postea rationem Haygartho recensitam notabimus.

Imprimis de ratione medendi hactenus factâ dicenda est. In hâc, indicationes curandi duæ sunt; *diathesin phlogisticam* totius corporis *tollere*, et *halitum cutis generalem promovere*, vel *spasmum solvere*.

Indicatio prima optimè absolvitur, sanguinis

detractione et regimine antiphlogistico. Quippe venæsectio ad inflammationem discutiendam plurimum polleat, huic imprimis nobis decurrendum est; sed cautè semper usurpandum; nam magnis vel iteratis sanguinis detractionibus debilitas magna inducatur, et hoc modo, causam Speciei Chronicæ vel tandem curationis tardæ, ponimus: idcirco statu pulsûs et ægri viribus dirigendi sumus; cùm venæsectio junioribus et robustis multò meliùs, quàm senioribus et infirmis, tolerari potest. GREGORIUS dispendium sanguinis pro curatione necessarium circa triginta vel quadriginta uncias, etiam in exemplis periculosissimis, æstimat *.

Si, post primam vel secundam sanguinis detractionem, in uno loco dolor sæviret, et præcipue si tumor et rubor adsint, ad topicas sanguinis missiones confugere possumus, aut ad hirudines, vel cucurbitulas cruentas. Hæ topicæ missiones nonnunquam maximo cum beneficio

---

* In morbis omnibus ad plegmasiarum ordinem pertinentibus, sanguis, ex venâ, amplo vulnere inflicto, et pleno rivo, est detrahendus.

usurpatæ. Ægrotus, ex omnibus quæ corpus stimulant, scil. ex cibo animali, liquoribus fermentatis, &c. abstinere debet; si urgeat sitis, liquoribus lenissimis restinguatur.

Cathartica.—Hæc semper parcè sunt adhibenda, quoniam corpus maximè debilitant; sed eodem tempore nobis præcavendum est, ne irritatio ulla ab alvo adstricta oriatur; et huic consilio, enemeta emollientia satis commode usurpantur, vel earum vice salibus mediis utamur. Ita indicationem primam peragimus.

Secundæ indicationi, scil. spasmodicam constrictionem amovere, ad *diaphoretica* confugiendum est. Sudorifica nequaquam sunt exhibenda, donec minuatur pyrexia, et pulsus non ampliùs centies sexagesima horæ parte micant; tunc verò Diaphoreticis uti licet, et cum hâc laudatione; ut, Medicorum experientiâ, ægrotum infirmare non inveniantur, tam quàm usus frequens purgantium vel venæsectionis. Huic consilio, Pulvis Compositus Opii et Ipecacuanhæ omnibus aliis sudorificis anteponendus est. Hujus decem vel quindecim grana adhibeantur, et

secundâ vel tertiâ quaque horâ repetantur, donec sudor moveatur; et quò satis copiosè fluat sudor, diluentia mitia et calida sunt liberaliter usurpanda; corpore interim laneis stragulis contecto. Si sudor subsideret, parvulis dosibus Antimonialis vel Vini Ipecacuanhi rursus eliciatur. Hoc modo sudor usque ad viginti et quatuor vel triginta et sex horas, si opus sit, protrahi potest.

Ex remediis sudorem promoventibus, Tinctura Guaiaci valentissima est. Præter Diaphoretica jamjam memorata, aliis varietatibus hujus *classis* etiam uti nobis licet; solummodò cavendum est eadem mandata observare. Si æger in balneum calidum descenderet, antea horum remediorum usum, fortasse actionem eorum multum promoveret.

Epispastica.—Haud prosunt hæc remedia, dum pyrexiæ signa vehementer urgent, et dolores hùc illuc vagantur; sed pyrexiâ minutâ, et dolore ad unum articulum fixo, cum sensatione frigoris, tunc multum prosunt; et etiam frictionem cum rubefacientium aliquibus usurpare;

quoniam hoc modo ex Specie Chronica ægrotum conservabimus.

Hâc ratione jam recensita, nunc de ea agemus tam vehementer laudata HAYGARTHO; cujus itaque verba ponemus *. FOTHERGILLUS,

---

* "For several years, my usual method of treating "the Acute Rheumatism, has been to give either An- "timonial Powder or Tartarised Antimony, generally "the former, till the stomach and bowels are suffi- "ciently cleansed. Without waiting for any other "evacuation or abatement, either of the *inflammation* "or *fever*, I order the *bark*, at first in small doses, "and if they succeed, gradually in larger; but if the "bark in any respect disagree, or even if it do not "produce manifest relief of the symptoms, the bark "is always suspended, and the antimony again re- "peated, till it shall have produced sufficient eva- "cuations. After the stomach and bowels have been "well cleansed a second time, the bark is again ad- "ministered in like manner." Alterâ parte inquit, "It is very interesting and instructive to remark, "that though this powerful remedy was given to "many patients very early after the commencement "of the *fever*, and was frequently ordered at my "first visits, yet it seldom failed to produce imme- "diate and salutary effects: to many Medical Read- "ers this may appear very bold and hazardous prac-

quem HAYGARTHUS citat, ut indicantem ei vires Cinchonæ in hunc morbum curando, ejus usui fuit allectus, methodo communi medendi cùm seipso parùm succedente in Febre Rheumaticâ quæ eum adorta fuit, postquam se frigori exposuisset; et etiam propter similitudinem aliquam inter Febrem Rheumaticam et Intermittentem; quoniam in utrisque urina subrubrum sedimentum deponit, et sanguine emisso, tunicam coriaceam albam ostendit, et dolore atque febre certas regulares periodos observantibus. Ex his opinionibus, in exemplo proximo Febris Rheumaticæ ejus fidei mandato, Cinchonam adhibere inductus

---

" tice, being so widely different from the opinions " on this subject which generally prevail on the na- " ture of inflammatory Rheumatism and the medici- " nal qualities of Bark; but it is to be considered, that " my adoption of this uncommon remedy for the " acute rheumatism commenced on the authority of " that eminently sagacious and intelligent physician " Dr JOHN FOTHERGILL, and that the practice which " I now recommend is the result of gradual improve- " ment for a long series of years, as successful expe- " rience led by degrees to a farther deviation from the " remedies usually employed in this disease."

fuit, et hâc medicinâ maximo cum beneficio utebatur. Illust. PRINGLE, in ejus opusculo, "*Diseases of the Army*" inscripto, inquit, "that he has ventured to give the bark, though some degree of the Rheumatic Fever still prevailed, and the pains were considerable; and this mode of practice he found to be attended with the best effects *."

His sententiis Cel. Scriptorum diversorum citatis, nunc nobis superest, nostram opinionem proponere; et ex numero maximo ægrorum *Acuto* decumbentium, quibus HAYGARTHUS Cinchonam adhibuit; et etiam optimis effectibus testatis, de ejus adhibitione, in exemplis aliquibus in Nosocomio Edinensi ab Doctoribus DUNCAN et HOME tractatis; et præcipue solertissimo et benevolenti SPENS Nosocomii medico; est nostra sententia, Cinchonam remedium valentissimum esse in hoc morbo, hucusque tam difficilè sanatu; nihilominus, si diathesis inflammatoria prævaluerit, et æger robustus fuerit, atque natu minor, ad morbum sublevandum, san-

* P. 160.

guis emissus usque ad quantitatem decem vel duodecim unciarum, valde profuerit; et postea Cinchonam adhibeamus, ad scrupulos duos vel drachmas indies.

Hoc modo curandi, solummodò observari necesse est, quod ægrotus in eo statu debilitatis relinquatur nunquam, qui plerumque magis methodi communis sequela est: "I have found in "many cases" (verba medici SAUNDERS citare, qui laudibus summis Cinchonam in Acuto commendat) "the Rheumatic fever greatly "shortened by this practice, and the debility "and torpor of the joints, together with the "disposition to Chronic Rheumatism, generally "prevented *."

Quocunque modo cura perficiatur, revalescentem semper monere debemus, ne se e subitò exponeret cœli vicissitudinibus, utrùm ex vestitûs mutatione, vel subitâ transitione ab aëre calido ad frigidiorem. In Britanniâ, hibernâ

---

* Vid. SAUNDERS' Observations on the Red Bark.

tempestate, indies occurrunt hæ transitiones, quamvis ritè artificiosæ appellari possunt. Sæpissimè fit, manere nos in cubiculo, cujus aër est calore repletus, aut ex turbâ hominum, vel, quod communius est, ex foco splendente, per spatium trium vel quatuor horarum, et postea ire foras, gratiosissimo recessu otiari; frigidis ventis ab aquilone efflantibus, cujus furorem repugnare, nostrarum Fœminarum, præsens lentis atque tenuis vestitus, non aptus est.

Quanti momenti est vestitus, aut hunc morbum gignendo vel præveniendo, dignoscatur legendo librum Johannis Sinclair, Baronetti, cui titulus est, "*Statistical Reports of Scotland;*" ex quo certiores facti sumus, quomodo Pneumonia et Febres Rheumaticæ prævalent, jam inde Incolæ, præsertim regionum Caledoniæ septentrionalium, coloris splendore et fili tenuitate laneorum Anglicorum eliciti, incautè Majorum habitum destituerunt. Ex hoc liceat nobis exemplum unum citare: "In the hilly and damp parish "of Carsefairne, the Rheumatism, it might be "expected, would be a prevailing disease; par-"ticularly when it is considered, that the Shep-

" herds, after being greatly overheated in
" climbing the steep mountains, must be often
" exposed to the piercing air on the summits.
" That it is not so," ait, " must be attributed
" in a good measure to the discreet use of *warm*
" *woollen clothes*, particularly the plaid, with
" which every inhabitant of the parish is pro-
" vided *."

---

* Vol. vii. p. 514.

FINIS.